



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Benno Episc. 16. Iunii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

eunte. Damnat proinde vitam pristinam, ter supplex ad DD. Apostolorum it limina, & post extracta compluria cœnobia, & MAGNÆ MATRI templum, post edita miracula, sub annum DCL. cilicio, & cineri incubans, sanctè emoritur. Ubi tunc focii olim peccantis? crede iterum LANDELINO, quisquis cum pluribus peccas, aut solus flebis, aut serò flebis. *Ex Surio.*

Melius est habere malorum odium, quàm consortium: sicut bona multa habet communis vita Sanctorum; sic plurima mala societas affert malorum. Isidor. l. 2. soliloq.

S. BENNO EPISC. 16. Iunii.

BENNO ex illustri Saxonum sanguine monachus, ex monacho Misnensium Pontifex, Slavos sub CHRISTI jugum egit. Captus bello Saxónico ab Henrico IV. Imp. & libertati restitutus, Romam abiit, pars magna illic Concilii futurus: inde redux templi sui claves, quas in Albim, cum iter ingrederetur, abjecerat, in pisce recepit: pedo aquam è terrâ, precibus ex aquâ vinum dedit; sibi per undas viam stravit: manibus Cœlitum, non semel ad suos per magna itinerum spatia compendioso est transportatus. Misniæ Marchionem, quo die alapam ab eo acceperat, hoc eodem, anno ventente, moriturum dixit, & vatem fuisse mors minimè mendax ostendit. Claruit innumeris semper miraculis; tum præcipuè, postquam Monachum Bojorum caput translatus est. Ibi ille pugnantem in se populi pietatem beneficiis quotidianis certat vincere, certamine hoc etiam jucundiore, quod clientes vel victi triumphant. *Ex Hieron. Emsero.*

Cogita peregrinationis tuæ miseriam, cogita vitæ humanæ

16. Iunii VITÆ SANCTORVM. 299
*humanæ pericula, cogita fragilitatem propriam; & ejus-
modi cogitatione, si perseveraveris, parum senties quic-
quid foris videtur molestum. S. Bern. serm. de om. SS.*

S. TYCHO EPISC. 16. Iunii.

Damus Euclionibus mancipiis pecuniæ rei
augendæ magistrum doctoremq; gratissimæ
artis, quâ granaria frumento stipentur, numusque
in arcâ crescat. TYCHO is est, ætate puer, sed cano
sensu, avari parentis filius, multò tamen peritior
pecuniariæ venationis. quod vel hinc intelligas.
Pater oneratum panibus in forum miserat: puer
indignatus unciarum quæstum iis venditis redi-
turum, è merce stipem facit, eamque in obvios
pauperes effundit. Patri æs reposcenti artificium
suum aperit; panes apud Christum in fœnore po-
sitos, & quidem centuplicato. eam in rem se syn-
grapham accepisse. Pater nulli rei præterquam
oculis suis crediturus, puerilis fidei experimen-
tum in horreis quæsit: & ecce tibi quæ pridie
vacuefecerat, importatum divinitus frumentum
agrè ceperunt. Eâdem facilitate cellas replevit.
Aridum vitis surculum. & pridem exsuccum humi
depanxit, neque vitam illi modò, & germinandi
vim, sed perpetui etiam gloriam miraculi contu-
lit. Unus enim ille palmes, quo die anniversaria
TYCHONIS memoria peragitur, sub initium rei
divinæ viventis uvas ostentabat, quæ ante sacrifi-
cium finitum ad maturitatem percoquerentur,
præcocem suo satori vindemiam præbituræ. Quid
ad hæc avari? In scholâ Pluti negant recepta esse
paradoxa Christi. *Ex Menæis.*

*Quid vereris fluxum & fragile bonum facere sem-
piternum? aut thesauros tuos custodi Deo credere? ubi*